

fundatio
ab Otto-
ne confir-
matur.

Stangefol. in
circ.

Westph. ad
hunc an-
num

Litera ex
tabulario
Gesekensi.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis. Otto divina concedente clementia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum, presentium scilicet et futurorum industria, qualiter Nos ob amorem Dei, omniumque Sancto- rum, interventumque fidelium nostrorum, Hoholti scilicet fratrisque ejus Brunonis, et Friderici, sororisque eorum Wicpurgæ, quoddam monasterium in loco Giski in illorum prædio ab illis in honore Dei ejusque genitricis semper virginis Mariæ Sanctique Cyriaci martyris noviter constructum, quia prædictus Hoholt locum simul cum monasterio, ædificiisque præparatis, et omne, quod ejusdem civitatis interioris muri ambitu continetur solum, et omnem terram, quam antea presbyter illius in beneficium possedit, et insuper hobas decem possessas in nostrum mundiburgium accepimus. Brun videlicet frater Hoholti hobas ad idem monasterium quatuor concessit possessas, Fridericus frater ejus hobam dedit unam possessam, Wicpurahc eorum soror sex secundum legem Saxoniam cum manu advocati sui Ekkiberti cum omni integritate ad illud antedictum monasterium tradidit. Loca sic vocata, Spurcka, Hortinghusen, Nuhlotra, Almunderaf, Thirlarun, et quidquid habuit in loco, qui dicitur Anavutto, cum curtibus, ædificiis, mancipiis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, exitibus et redditibus, quæstis et inquirendis, omnibusque ad prædicta loca jure legitimeque pertinentibus. Insuper etiam jam dicta Wicpurahc ad præscriptum monasterium hobas viginti in aliis locis dedit habitatas. Et ea scilicet ratione illi prænotatum de sua proprietate, sicut ante exaratum est, construxerunt monasterium, quatenus prædicta Wicpurahc illud Ecclesiastico possideret jure usque ad vitæ illius obitum. Postea quamdiu in eodem monasterio de ipsius ante dicti Hoholt progenie aliqua hujusmodi honoris digna inveniat, nequaquam alia eligatur, et si nulla, quod absit, per longa annorum curricula de eadem genealogia in eodem monasterio ad præfatum honoris promoveatur gradum femina, tunc potestatem habeant de alia inter se nutritam stirpe eligendi abbatissam. Et si iterum de prætitulati Hoholti radice aliqua revirescit mulier in antedicto monasterio nutrita, et si ad hoc digna, de suis parentibus constructum potestativè possideat monasterium. Proinde sancimus monasterium, quod jam in nostram suscepimus tutelam, ut nullus iudex publicus, nec aliquis ex judiciaria potestate illud ingredi, aliquid judiciariæ potestatis excercendi, in villis aut aliquibus locis præfata collatis Ecclesiæ habeat potestatem, vel in futuro conferendis, nisi ipse Hoholt, quem advocatum usque ad vitæ ejus recessum et post illius obitum ejus, si habeat filium, et sic dum seculum fiat, de illius germine fore disposuimus advocatum, et nec illo, nec aliquo homini potestativa constructione acquisitum nullum inde conficiatur servitium. Et ut hæc nostra auctoritas firmiter ab omnibus crederetur hanc chartam jussimus asscribi, annuloque nostro consignari, manuque propria decrevimus corroborari.

Signum Domini Ottonis



Serenissimi Regis

Otpertus